

illos, qui nunquam omnino se ubantur. Mediocritate enim ubendo  
se gaudere. Atque hic locus usum divitiarum, & quomodo conser-  
vari eadem debeant, docet. Deinde cum Jupiter in sententia per-  
sisteret, atque ita Plutus ducente Mercurio ad Timonem profici-  
sceretur, inter eundum fingitur claudicare. Ibi, interrogante Mer-  
curio, caussam e jus rei reddit, quod quoties à Jove mittatur, tar-  
dè incedat, neque videat quorsum eat, neque norit ad quos eat:  
quoties autem à Dite mittatur, etiam alatum esse. Quo figmento  
significare videtur, improbos ac malos semper melioribus successi-  
bus frui: probos autem, & à Jove dilectos, aut nunquam, aut  
tardè in hac vita felices ac divites fieri. Postremò interrogatus à  
Mercurio, cur deformis ac pallidus, tantopere ametur ab homini-  
bus, respondet, inscitia, ac cæcitate illorum hoc fieri. Atque ibi  
cum his, tum alios effectus suos exponit, quæ omnia postremò actio-  
ne, & quasi ipsa re comprobantur, dum Timonem ab initio Plutum  
rejicere atque aversari fingit, utpote ex paupertate modestum ac  
temperantem jam factum, & agnoscentem superiora mala, in que  
ex divitiarum copia inciderat. Mox eundem acceptum cum sum-  
ma cura asservare, tumidumque & insolentem, omnes alios ho-  
mines vitare atque contemnere. Additis ad finem etiam adulato-  
ribus, scurris, assentatoribus, sycophantis, fumi venditoribus,  
& id genus aliis, qui ut corpus umbra sic ipsi divitias atque  
fortunam comitantur.



## ALIUD ARGUMENTUM JOHANNIS SAMBUCI

*In Timonem, seu Misanthropon.*

Distribuens aurum Timon incautus amicis,  
Mendicus subito è divite factus erat.

Ira igitur motus falsos contempsit amicos,  
Atque alios, parcè vivere constituens:

Juppiter huic iterum succurrens grandia misit  
Munera, quæ tanti caussa doloris erant.

Quæis acceptatis, didicit dein parcere nummis,  
Fabula, qui rectus, nos monet, usus opum.